

sponsum: Quæ totius Reipublicæ Venetæ mens sit, satis Gregorio constare: suis contentam, nunquam aliena aut arripere aut cupere assuetam; id multis iisque insignibus argumentis omni tempore testatam; hoc præsertim, in causa Aquilejensi, cum nullum officiū genus in Patriarcham prætermiserit; tantumque abesse, ut feudo, quod modo in dubium vocaret, ipse exutus fuerit, ut illud semper in Reipublicæ auctoritate ac potestate extiterit. Atqui cum his de rebus Reges certiores a Senatu factos Pontifex cognovisset, idem per suos legatos efficiendum curavit. Ac sane, qui illius factum probaret, nemo exitit. Joanni Mauro legato rem exponenti, perperam Gregorium facere, Henricus inquit, qui Reipublicæ Venetæ, quæ inter præcipuos christianos Principes censeretur, negotium facebat, causamque minime ecclesiasticam ad se trahere velit. Eadem se mente esse Hispaniarum Rex ostendit, cum Granvelanus Cardinalis, quo cum Joannes Franciscus Maurocenus orator egerat, Philippum eximia prudentia, diceret, ex specula veluti præsipientem, atque pro Italiae quiete excubantem, de bisce dissidiis certiore factum, statim Abbatii Brissengæ Romam prescribendum jussisse; omni studio negotium ex sententia Senatus confici niteretur. Carolus quoque Sabaudiæ Dux per suum oratorem Gregorium hortabatur; rogabat, ne levi ex causa turbas ciere in Italia vellet. Neque vero secus Cæfaris præconsultores sentiebant. Gregorius, ad quem earum rerum notitia pervenerat, quæque Principum sententia esset, cognoverat, vehementer commotus, quacumque ratione consilium suum tueri adnitebatur.

Interea extra ordinem oratorem Romam mittere Senatus statuit; præclaro publici in Pontificem obsequii teste delimitum iri, veritateque cognita, Reipublicæque rationibus perspectis, e sententia decesturum sperans. Munus Joanni Superantio Equiti est delatum. Henricus eodem tempore per Foxium legatum negotium urgebat; Pontifici suadebat: Ne his temporibus Rempublicam de Apostolica Se de optime meritam affligeret; Regis in Venetos benevolentiam, Venetorum in illum promerita memorabat; quamdam genii (ut ille ajebat) similitudinem inter Gallos ac Venetos esse, quod iisdem temporibus amborum imperia or-

Joannes  
Superantius  
extra ordi-  
nem ad  
Pontificem  
orator.

De Aqui-  
lejensibus  
controver-  
sis Gallo-  
rum & Hi-  
spaniarum  
Regum offi-  
cia.